

EPISTULA LEONINA

CLXXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUARTAM (174) !

ARGUMENTA

PISCIS PRIMUM A CAPITE FOETET	03
FABELLAE GRIMMIANAE: Sponsa lepusculi et Duodecim venatores	04-10
EQUES LEUCIPPUS (VI)	11-16

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam septuagesimam quartam (174). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Erasmus Roterodamus in Adagiis suis dicit in proverbio esse piscem primum a capite foetere; p.3 huius Epistulae Leoninae invenies eius versionem Graecam explicationemque huius proverbii et versionem eiusdem theodiscam locis modernis citatam.

Paginis sequentibus leges duas fabellas Grimmianas necnon partem Equitis Leucippi ("Schimmelreiter") in Latinum conversi sextam.

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 Die Dominicâ, 16. m.Sept., a.2018**



ΙΧΘΥΣ ΕΚ ΤΗΣ ΚΕΦΑΛΗΣ ΟΖΕΙΝ ΑΡΧΕΤΑΙ PISCIS PRIMUM A CAPITE FOETET

ERASMUS ROTERODAMUS Adagia IV 2,97 = 4,3197 Piscis primum a capite foetet Ἰχθῦς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὀζειν ἀρχεται, id est piscis a capite primum incipit putere. Dictum in malos principes, quorum contagione reliquum vulgus inficitur. Apparet ab idiotarum vulgo sumptum.

Huius proverbii sensus originalis eo explicatur, quod interna organa piscium praestantissima sita sunt proximè post caput et pertingunt usque ad mediam ferè partem.

„Vor allem die politische Korruption richtet großen Schaden an, denn *der Fisch stinkt vom Kopf her*“.
Anke Martiny mulier partis politicae sociali-democraticae particeps et publicatrix (1939-2016).

„*Der Fisch stinkt vom Kopf her und der Kopf sitzt im Kanzleramt*“

Wolfgang Bok auctor liber et diurnarius. https://www.youtube.com/watch?v=CN2O_YbOK2k
https://www.google.de/search?q=der+fisch+stinkt+vom+kopf+an&source=lnms&tbm=isch&sa=X&ved=0ahUK_Ewjcvu2s7LjdAhUxiYsKHT8vCiQQ_AUICigB&biw=1024&bih=615#imgrc=W8V8vmYwfJY83M



FABELLAE GRIMMIANAE

66. Sponsa lepusculi (*Häsichenbraut*)



Aliquando fuit mulier cum filiâ suâ; eadem vixerunt in pulchro horto, cui infuit brassica; in eum vênit lepusculus et tempore hiemali totam brassicam devoravit. Deinde mulier dixit filiae: »I in hortum et fugâ lepusculum!«

Tum puella lepusculo dixit: »*Schu! schu!* Tu, lepuscule, cave ne devores totam brassicam!«

Lepusculus autem: »Veni« inquit, »puella, conside in caudulâ meâ leporinâ et veni mecum in casulam meam leporariam!«.

Postridie lepusculus revenit et brassicam devorat; tum mulier filiae dixit: »I in hortum et fugâ lepusculum!«

Deinde puella lepusculo dicit: »*Schul! Schu!* Tu, lepuscule, cave, ne devores totam brassicam!«

Tum autem lepusculus: »Veni« inquit, »puella, conside in caudulâ meâ leporinâ et veni mecum in casulam meam leporariam!«. Sed puella non vult.

Tertio quoque die lepusculus venit et brassicam devorat. Tum mulier filiae dicit: »I in hortum et fugâ lepusculum!«

Deinde puella: »*Schu! schu!*« inquit, »tu, lepuscule, cave ne devores totam brassicam!"

Tum lepusculus: »Veni« inquit, »puella, conside in caudulâ meâ leporinâ et veni mecum in casulam meam leporariam!«. Puella autem in caudulâ leporinâ consedit; tum lepusculus eam in casulam suam remotam apportat et dicit: »Nunc coque brassicam viridem atque milium, nam invitare volo convivas nuptiales«. Tum omnes convivae nuptiales congregati sunt. – Qui fuerunt convivae nuptiales? Hoc tibi dicere scio, quia ab alio certior factus sum: Idem fuerunt omnes lepores, et cornix adfuit munere parochi fungens, ut sponsum sponsamque conubio coniungeret, et vulpes fuit custos ecclesiae, et altare fuit sub arcu caelesti.

At puella fuit tristis, quia erat sôla. Tum venit lepusculus et dicit: »Aperi, aperi, convivae nuptiales sunt exhilarati!« Sponsa autem nihil dicit et lacrimat. Deinde lepusculus abit, tum lepusculus revertitur et: »Aperi, aperi« inquit, »convivae nuptiales esuriunt«. At sponsa iterum nihil dicit et lacrimat. Lepusculus autem abit; lepusculus revertitur et: »Aperi, aperi« inquit, »convivae nuptiales expectant«. Tum sponsa nihil dicit et lepusculus abit: sed pupam conficit stramineam vestimentis suis indutam, eique dat rutabulum¹, eamque apponit aheni, cui inditum est milium, et it ad matrem. Lepusculus autem reveniens vocat: »Aperi, aperi!«, et aperit et pupae capiti aliquid inicit, ut eius calautica² decidat. Tum lepusculus videt pupam non esse suam sponsam, et abit et tristis est.

* *
*

¹ *rutābulum*, -i n. orig. *Rührlöffel*.

² *calautica*, -ae f. orig. *Haube*.



FABELLA QUAM QUI LEGERIT RELAXATUS OBDORMISCET

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

Häsichenbraut

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

* *
*

67. De duodecim venatoribus (*Die zwölf Jäger*)



Aliquando fuit filius rēgis, cui fuit sponsa, quam valdē amavit. Cum apud eam sederet hilariter, subito nuntio accepit patrem suum mortiferē aegrotantem se videre velle ante finem suum. Tum filius rēgis amatam suam allocutus: »Nunc« inquit, »quia debeo abire te relinquens, tibi do anulum, ut mei memineris. Si rex factus ero, reveniam teque domum ducam«. Deinde abequitavit, et cum patrem adveniret, is mortiferē aegrotans fuit moriturus. Pater autem filio suo dixit haec: »Mi fili carissime, ante finem meum volui te semel saltim videre, pollicere te illam puellam in matrimonium ducere, quam ego volo a te dūci« et nomen attulit cuiusdam filiae alicuius rēgis, quae exoptavit ut fieret nurus sua. Filius animo erat tam contristato, ut praeproperē diceret: »Ita vero, mi pater, fiat voluntas tua« et deinde rex oculis conclusis mortuus est.

Luctu autem publico finito filius rex factus cum id quod patri promiserat servare deberet, iussit illam filiam rēgis a patre destinatam petere, eamque accepit concessam. Hōc audito sponsa prior eius fide decepta tam vehementer maeruit, ut ferē contabesceret. Tum pater ei dixit: »Filia carissima, quare tam vehementer maeres? Habeas id quod tibi exoptas«. Illa autem per momentum temporis deliberavit, deinde: »Care pater« inquit, »exopto undecim puellas, quae sint facie, formâ,

staturâ mihi prorsus aequales«. Rex autem respondit: »Si hoc fieri potest, optatum tuum expleatur«, et iussit in toto regno suo quaerere tam diu, usque dum invenirentur undecim virgines, quae essent facie, formâ, staturâ filiae suae prorsus aequales.

Cum undecim virgines ad filiam rēgis venissent, ea iussit conficere duodecim vestes venaticias inter se prorsus aequales, et undecim virginibus vestes venaticiae erant induendae, et ea ipsa induit duodecimam. Deinde patri valedixit et cum illis abequitavit et equitavit ad aulam viri quondam sibi sponsi, quem tantopere amabat. Tum rogavit, num rex egeret venatoribus et nonne sibi duodecim omnibus vellet munus attribuere venandi? Rex autem illas aspectas non recognovit; sed quia illae perquam pulchrae fuerunt, îdem affirmavit se libenter iisdem munus dare; et sic illae factae sunt duodecim venatores rēgis.

Rex autem habebat leonem, quod fuit animal mirabile, nam sciebat omnia occulta et arcana. Factum est, ut aliquo vespere îdem leo rēgi diceret: »Tunc sentis te habere duodecim venatores?« Tum rex: »Scio« inquit, »duodecim venatores mihi esse«. At leo dixit: »Falleris, nam reverâ non habes duodecim venatores, sed puellas«. Nunc autem rex respondit: »Hoc minimê verum est. Quonam modo hoc mihi vis demonstrare?« Tum leo respondit: »O rex« inquit, »iube pisa spargere in procoetonem tuum; deinde statim videbis, quales illi venatores sint. Viri enim sunt incessu firmo, si ii pisa transeunt, nullum pisum movetur, sed puellae trepidant, ut pisa huc illuc volvantur«. Rex cum hoc consilium sibi placeret, iussit pisa spargere.

At fuit quidam minister rēgis, qui, cum audivisset venatores, quibus favit, probatum iri, eosdem adiit et omnibus rebus narratis: »Ille leo« inquit, »rēgi persuadere vult vos esse puellas«. Tum filia rēgis ministro gratias egit et postea virginibus suis dixit: »Cogite vos ipsas, ut pisa firmê calcetis«. Cum autem rex postridie mâne duodecim venatores arcessitos iussisset in procoetonem venire, ubi posita erant pisa, iidem tam firmê pisa calcaverunt incessuque fuerunt tam firmo et vegeto, ut ne unum quidem pisum voveretur vel ullo modo alio moveretur. Deinde venatores abierunt et rex leoni dixit: »Mendacio me fefellisti, nam illi incedunt more virorum«. At leo respondit: »Illi

cum scirent se probatum iri, se coegerunt, ut moverentur more virorum. Iube duodecim rhombos netorios¹ ferre in procoetonem, deinde illi rhombos accedent et nendo gaudebunt, sed talia nullus facit vir«. Cum rēgi hoc consilium placeret, iussit rhombos netorios in procoetone collocare.

At minister venatoribus favens ad eos iit insidias patefacturus. Tum filia rēgis, cum essent solae, undecim puellis dixit: »Cogite vos ipsas, ne oculos convertatis ad rhombos«. Postridie mâne duodecim venatores a rēge arcessiti per procoetonem venerunt neque ullo modo aspexerunt rhombos netorios. Tum rex iterum dixit leoni: »Mendacio me fefellisti, illi sunt viri, nam rhombos netorios nullo modo aspexerunt«. At leo respondit: »Illi cum scirent se probatum iri, se ipsos coegerunt, ne rhombos aspicerent«. At rex leoni non credidit.

Duodecim autem venatores regem solebant sequi venantem, et is illos quo diutius secum ducebat, eo libentius. Aliquando autem factum est, ut venantes a nuntio acciperent sponsam rēgis esse adventuram. Cum autem sponsa vera hoc audiret, tam vehementer doluit, ut corde paene percusso humum decideret exanimata. Rex autem sensit cāro venatori suo aliquid accidisse, accurrit adiuturus, chirothecamque eius exiit. Tum conspexit anulum, quem dederat sponsae suae priori, et vultu aspecto illam recognovit. Tum animus rēgis tam vehementer commotus est, ut sponsam suam oscularetur, et cum ea oculos aperiret, rex: »Tu« inquit, »es mea et ego sum tuus, et in toto mundo nullus homo hoc mutabit«. Alteri autem sponsae misit nuntium, quem iussit illam rogare, ut in regnum suum reverteretur, quia ipse iam haberet uxorem, et is, qui clavem priorem repperisset, non egēret novâ. Deinde nuptiae sunt celebratae, et leo, cum verum dixisse probatus esset, gratiam rēgis recuperavit.

* *
*

¹ **rhombus nētōrius** orig. *Spinnrad*. cfr Johann Adam Schmerler, *Deutsch-lateinisches* Erlangen 1794, p.121.; *Spinnrad*, **rhombus netorius**.

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

Die zwölf Jäger

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

* *
*

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars sexta



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinê: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter* (VI)
DE EQUITE LEUCIPPO
Capitulum sextum



Ecce *Sylvester Groth* personam gerens *Hauci Haieni*
A.1984 televisio Germanicae Rei Publicae Democraticae (DDR) unâ cum televisione
Polonicâ *Nicolao (Klaus) Gendries* scaenas dissignante cinema confecit secundum
argumentum *Equitis Leucippi* Stormiani. .

Mense Ianuario tertii anni muneris, quo fungebatur Haucus, instabat festum quoddam hiemale; quod nostrâ in regione appellatur festum *globulationis glacialis*¹. Gelu perdurante litoralibus ventis quiescentibus omnes fossae pascuis intersitae ita obtectae erant areâ glaciei firmâ solidâque, ut partibus terrae antea inter se dissectis nunc congelatis fieret lata planities aptissima, in quâ ad scopum iaciebantur globuli lignei, quibus plumbum erat infusum. Omni die flabat lenis

¹ +*globulatiō glaciālis* orig. *Eisboseln*. cfr Christian Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.135: „Bowling... *globulatio, -onis f. [1543, Latham 65,213 ; Bowling spielen *globulare 1543, Latham 65,213]“.

aquilo: iam omnia erant ordinata; aridicolae¹ in ecclesiastico vico² orientali trans paludetum³ sito, qui anno proximo praeterito vicerant, postulati, ut certarent, acceperant, utraque factio novenos globulatores delegaverat; etiam recuperator⁴ arbitrique⁵ erant electi. Ad arbitrorum munus suscipiendum, qui, si quae litigatio fiebat, agere debebant de iactu dubio, eligi solebant tales viri, quales rem suam sciebant quam optimè illustrare, libentissimè eligebantur catulastri, qui essent Minervâ crassâ, laetâ loquacitate. Inter eos erat *Olaus Petersius*, servus comitis aggeralis maior.

Īdem: »Dummodo vos« inquit, »globuletis cum subtilitate infernali, equidem gratis garriam quidquid mihi in buccam venerit!«

Die ante festum cum advesperasceret, aliquot globulatores in conclave secundarium *Cauponae ab Urceo Paroeciali*⁶ supra in sicceto⁷ sitae venerant, ut decernerent de nonnullis iuvenibus recipiendis, qui sêro demum nomina dederant participando. Etiam *Haucus Haienus* fuit inter eos; qui primum noluerat particeps fieri, quamvis non ignoraret, quam bene iaciendo exercita essent bracchia sua, sed timuit, ne ab *Olao Petersio*, qui in hōc ludo fungebatur munere honorabili, recusaretur; itaque Haucus sibi temperare voluit, ne acciperet repulsam. At *Elca* undecimâ adhuc horâ Hauci mentem mutaverat; haec enim dixerat: »Hoc, Hauce, iste non audebit facere; qui est filius mercennarii; tuus autem pater possidet vaccam equumque et insuper est vir omnium in vico prudentissimus!«

»At quid faciam, si tamen hoc assecutus erit?«

¹ *āridicolae*, -ārum m.pl. orig. *die Geestleute*. cfr *palūdicolae* orig. *die Marschleute*. Alia nomina plausibilia:

**siccētānī* et **palūdētānī*. cfr **palūdētum*, -ī n.

² *vīcus ecclēsiasticus* orig. *Kirchdorf*.

³ **palūdētum*, -ī n. orig. *die Marsch*.

⁴ *recuperātor*, -ōris m. orig. *der Obmann*

⁵ *arbitr*, -trī m. orig. *der Kretler*.

⁶ *Caupōna ab Urceō Paroeciālī* orig. *Kirchspielkrug*. cfr Karl Ernst Georges, *Kleines Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch*, 9.ed., Darmstadt (WB) 1969, col.2795 s.v. zu I),1): „Auf den Schildern der Wirtshäuser heißt 'zu' im Lateinischen ab mit Abl., z.B. *zum Hahn, a gallo gallinaceo* (Inscr.).“ - cfr Johann Adam Schmerler, *Deutsch-lateinisches* Erlangen 1794, p.71: „Kirchspiel, doecesis, parochia“.

⁷ **siccētum*, -ī n. v. James Johnstone, *Antiquitates Celto-Normannicae*, Copenhagen 1786, p.48: “II. Haec est divisa inter terram *Kirkercus* & terram monachorum; de *Myrosco* lacu qui dicitur *Hescana-appayse*, et ascendit in *siccetum* directe e loco qui dicitur *Munenyrzana*, ... (versio Anglica:) ...This is the line that divides the *Kirkercus* from the *Abbey Lands*., at the lake at Myre-shaw which is called *Hescana-appayse*, and goes up to the dry moor from the place called *Munenyrzana*, ...”

Tum *Elca* eum ex oculis suis obscuris aspexit paene subridens. »Si hoc fecerit«, inquit, »vespere recusabitur saltaturus cum filiâ oeconomi sui!« – Tum *Haucus* *Elcae* adnuerat animo capto.

Nunc iuvenes, qui adhuc lusûs participes fieri voluerunt, frigentes pedibusque glaciem calcantes stabant ante *Cauponam* ab *Urceo* *Paroeciali* et suspiciebant ad summam turrim ecclesiae saxis constructam, iuxta quam sita erat *Caupona* ab *Urceo*. *Columbae* parochi, quae aestate se nutriebant in campis vici, modo reverterunt ex agricularum aulis fenilibusque, ubi grana sibi quaesiverant, et evaserunt sub scandulas turris, post quas habebant nidos; in occidente autem super *Sinu* maritimo stabat rubor vesperi ardentissimus.

»Cras erit caelum serenum!« unus e catulastris dixit et coepit huc illuc migrare; »sed frigidum! frigidum!« Alter autem catulaster, cum nullam iam columbam videret volantem, in domum iit et auscultans pedibus constitit iuxta conclavis ianuam, ex quo nunc sonuit vivida collocutio perturbata; etiam servus comitis aggeralis minor iuxta eum constiterat. »Audi, *Hauce*«, dixit ad eum; »nunc clamant de te rixantes!« et clarê audita est vox *Olai Petersii* crepitans: »Servi minores et pueruli non fient globulatores!«

»Veni«, alter susurravit *Hauci* manicam ad ianuam conclavis attracturus, »hîc disces, quanti te aestiment!«

At *Haucus* se abripuit et revertit ad locum ante domum situm. »Illi nos non excluserunt, ut haec audiremus!« retro vocavit.

Ante domum tertius stabat eorum, qui nomina dederant participando. Is *Hauco* dixit: »Timeo, ne mihi sit quaedam difficultas. Vix habeo duodeviginti annos; utinam ne flagitent testimonium baptismale! Te, *Hauce*, servus tuus maior arbitrio suo certê a regulâ excipiet!¹«

¹ Tê, *Hauce*, servus tuus maior arbitriô suô certê ā rēgulā excipiet! orig. *Dich, Hauke, wird dein Großknecht schon herauskreteln!*

At Haucus »Me non *excipiet a regulâ!*« mussitavit pede lapidem super viam proiciens; »me *excludet e certamine!*«¹

Strepitus in conclavi exauctus est, deinde paulatim silentium exortum est; foris stantes iterum audiverunt lenem aquilonem, qui supra in turri ecclesiae summâ frangebatur. Auscultator ille iterum iit ad eos. »De quo intra locuti sunt?« interrogavit iuvenis duodevicenarius.

»De hôc!« ille dixit digito Haucum indicans, »*Olaus Petersius* eum voluit reddere puerulum; at omnes contra istum clamaverunt: »Eius pater pecora habet et agrum«, dixit *Iohanniscus*² *Hansen*. »Ita, agrum habet tantulum«, vocavit *Olaus Petersius*, »quantulum potes auferre tredecim carrulis!« – Ultimo loco locutus est *Olaus Hensen*. Qui »Tacete!« clamavit; »Ego vos hanc rem explicabo: Dicite mihi tantummodo, quisnam sit primus vir in vico?« Tum primo conticuere omnes et visi sunt deliberare; deinde vox aliqua: »Scilicet eundem esse comitem aggeralem!« Omnes autem ceteri vocaverunt: »Rectê quidem. Licet sit primus vir comes aggeralis!« – »At quisnam est comes aggeralis?« *Olaus Hensen* rursus vocavit; »sed nunc rem rectê deliberate!« – – Tum aliquis coepit submissê ridere, deinde alius quidam, usque dum in conclavi nihil auditum est nisi continua cachinnatio. Denique *Olaus Hensen*: »Ergo«, inquit; »advocate illum! An vultis comitem aggeralem ab ianuâ repellere?« Puto illos adhuc ridere; sed vocem *Olai Petersii* non iam audivi!« His verbis catulaster relationem suam conclusit.

Eodem ferê momento temporis intra domum raptim aperta est ianua conclavis et verba: »Hauce! Hauce Haiene!« voce magnâ laetâque in tenebras frigidas emissa sunt.

¹ At Haucus »Mē nōn excipiet ā rēgulā!« mussitavit pede lapidem super viam proiciēns; »mē excludet ē certāmine!« orig. „Ja, heraus!“ brummte Hauke und schleuderte mit dem Fuße einen Stein über den Weg; „nur nicht hinein!“

² **Iohanniscus*, -ī m. orig. *Jeß*. cfr <https://www.wn.de/Archiv/2011/01/MV-Namensforscher-Jesse-geht-auf-den-biblischen-Johannes-zurueck>: „... In Nordwestdeutschland, im friesischen Gebiet und in Dänemark gab es einen gleichlautenden **Rufnamen** Jesse, **Jess**, der anderen Ursprungs ist. Durch Namengleichungen wie „Johannes Nystae“ = „Jesse Nyste“ (1357/1400) und „Jens Mathessen“ = „Jess Matissen“ (1426/28) ist gesichert, dass **Jess(e) hier als Variante von „Jens“ entstanden ist. Jens ist eine auch heute noch beliebte niederdeutsch-friesisch-dänische Form von Johannes**. Zwei frühe Belege des Vornamens finden sich bei „Jesse Bernardes“ (1330 Neuhaldensleben, die gleiche Person ist auch mit dem Kosenamen „Jesseke“ bezeugt) und „Jesse Rute“ (1376 Braunschweig)...“ – cfr Immanuel Johann Gerhard Scheller, *Deutsch-lateinisches Lexicon*, in 2 Bänden, 3. ed., Lipsiae 1805... col.1273: „Hännschen, Deminut. von Hans; etwa Iohanniscus, oder Ioanniscus (das bey den Alten nicht vorkommen möchte), oder Iohannulus (Ioannulus), das ebenso wenig vorkommen möchte; ...“

Tum Haucus domum ingressus non iam audivit, quisnam esset comes aggeralis; quid îdem capite suo cogitavisset, interim nemo certê accepit.

Haucus cum aliquamdiu post appropinquaret domui domini sui, conspexit Elcam infra in parte tumuli posticâ stantem, lumine lunae, quod nitebat super immensum pascuum immensurabiliter pruinosum. »Stasne hîc, Elca?« rogavit. Illa capite adnuit. »Quid factumst?« inquit; »Num ille hoc ausus est?«
 »Quidni ausus sit!«
 »Quid nunc?«
 »Licet, Elca; licet mihi tamen rem cras conari!«
 »Bonam noctem, Hauce!« Elca dixit, per tumulum properê ascendit, in domum evasit.

Haucus eam lentê secutus est.

FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM

A THEODORO STORM SCRIPTAM



C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

PARS SEPTIMA SEQUETUR !

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoues	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUARTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 16. m.Sept. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>